Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1283
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 68. p. 2. *Collacio breuis in consecratione clericorum.* Levis momenti et incipiens: *Tu uero uigila, in omnibus labora* &c.

III. *fol.* 70. Notae chronologicae ejusmodi: *Anno domini Millesimo C. ordo cisterciensium cepit. Anno Domini MCCVI. ordo predicatorum cepit esse. Anno Domini MCCXVI. ordo minorum cepit esse. Anno Domini MCXLI. Ducatus Bohemorum mutatus est in regnum a Friderico Imperatore. Eodem anno Marchionatus Austrie mutatus est in Ducatum. Anno Domini MCCXL. flagellatores surrexerunt. Anno Domini MCCLXXII. Rudolfus comes de habzpurg ad romanum imperium eligitur. Anno Domini MCCLXXVI. idem rex Rudolfus obtinuit Austriam. Anno Domini MCCLXXVIII. feria sexta hora nona VII. kal. Septembr. idem Rudolfus occidit Othakarum regem Bohemorum. Anno Domini MCCXLIII. Richardus rex Anglie a duce leupoldo captus est in austria. Anno Domini MCCCL. fuerunt flagellatores.* Non omnia sincera v. g. *Richardi* captivitas in *Decembrem* a. 1192. incidit.

Abhinc sequuntur Documenta ad famosam Controversiam inter *Johannem* XXII. et quosdam de Ordine *Minorum* circa altissimam Christi et Apostolorum Paupertatem, de qua videri possunt *Raynaldus* in *Annal. Eccl. Waddingus* in *Annalib. O. M.* et *Baluzius* in *Vitis Papar. Avenionens.* 1) *Ista est sententia que continetur in constitutionibus pape Johannis XXII. de paupertate christi, et est contra duos minores hereticos Auinione combustos Anno Domini* MCCCLIV. *feria III. proxima post festum pentbecosten.* Sed nihil sequitur. 2) Sententia F. *Hervaei Natalis* Magistri O. P. in eodem negotio, cujus hae sunt Censurae: *Asserere Christum et eius Apostolos non habuisse ius utendi in rebus quibus usi sunt, simpliciter hereticum iudico. Asserere etiam ipsos non habuisse ius et dominium saltem in communi in rebus, quarum usus est consumptio earundem, et quibus usi sunt, simpliciter hereticum iudico. Asserere etiam ipsos non habuisse ius et dominium predicto modo in rebus, quas emendo et vendendo commutauerunt per se, et quas nomine suo dederunt alijs, hereticum reputo.* Nihil de hoc in *Scriptt. Ord. Praed.* 3) Decretum Capituli generalis O. M. *Parisiis* celebrati sub *Michaele Caesenate* Ministro generali, cujus haec sententia: *Dicere et asserere, quod Christus — et Apostoli — nihil iure proprietatis, iure dominij seu proprii in communi habuerint, non est hereticum.* Ad quod firmandum variae Constitutiones Pontificum et ipsius *Johannis* XXII. adducuntur, damnatur tamen sub finem Adsertio: *Christum et eius apostolos in hijs que habuisse leguntur, tantum absque iure aliquo simplicem usum facti habuisse*, cum addito: *Ex quo si uerum esset sequeretur, usum christum non habuisse iustum, quod profecto blasphemiam continet* &c. 4) *Confessio pauperum obseruantie de altissima*